

determinatio sub conditione ad istam partem potius quam ad aliam, v. g. ad traditionem David in Ceila, magis quam ad non traditionem. Et ita licet ad existendum, sub conditione se habeat, tamen ut jam verum sit illud conditionatum non se habet sub conditione, sed de facto, et in re verum est, ideoque ponitur quod de facto, et in re cognoscitur a divino intellectu, quia de facto, et in re tale objectum cognoscibile est: et ita est cognoscibile de facto, et in re pro hac parte determinata, v. g. quod tradetur David, quod posset pro opposita determinari etiam sub illo conditionato, et sic libere illa determinatio datur, et ex liberis principiis orta est. Sed non potest intelligi, quod in aliquo statu quantumcumque conditionato aliqua veritas libere determinetur et sequatur ex aliqua conditione, et ex aliquibus principiis creatis, et non ex primo libero, et ex prima causa participetur quod est voluntas divina, si quidem illa determinata veritas sub statu conditionato creata est, et participata, et habet suas causas etiam sub illo statu, ergo sub illo statu reducitur ad causam primam, et subjicitur divinæ potestati et libertati, ita quod sicut in illo statu et conditione posset creata voluntas ad oppositam partem inclinare, ita id posset causari a divina voluntate, ergo ut Deus videat hanc voluntatis creatæ determinationem, prius debet respicere ad suam voluntatem ut ad causam et radicem illius determinationis conditionatæ, quæ ita de facto convenit, quod posset oppositum convenire. Ergo ruit scientia media, quæ ita respicere ponitur determinationes conditionatas, quod non transit prius per voluntatem divinam ut illas videat, a qua tamen participantur.

X. Et denique confirmatur, quia impossibile est divinum intellectum

videre illammet determinationem voluntatis sub statu possibili, nisi respiciendo ad suam omnipotentiam, a qua denominatur res illa possibilis. Similiter non potest cognoscere, quod illa determinatio absolute futura sit, nisi respiciendo ad absolutam voluntatem suam, quæ est causa producendi res in facto esse; ergo etiam impossibile est quod respiciat determinationem illam voluntatis sub statu conditionato ut certo et infallibiliter veram et cognoscibilem, nisi respiciendo ad aliquod attributum suum a quo status ille, et res sub illo statu participantur, alias concedemus aliquem statum in creaturis dari imparticipabilem a Deo, nec ab aliquo ejus attributo, quod est prorsus horridum in tota theologia et philosophia. Si autem participatur ab aliquo attributo, non nisi ab aliquo libero et pertinente ad voluntatem et providentiam Dei, quia id quod participatur liberum est, et contingens et non sub statu necessario, sicut est status possibilitatis, sed sub statu conditionato, qui utique contingens est si quidem æque bene sub illa conditione posset oppositum stare, ergo participari debet ab aliquo attributo libero Dei, atque adeo a voluntatis decreto, quia omnia attributa libera decretum important: ab attributo autem necessario non potest illa determinatio conditionata participari nisi sub statu necessario, qualis est status possibilitatis, et indifferentiæ. Quod vero non participetur a decreto conditionato ex parte Dei, id est, non quod de facto habeat, sed quod haberet si illa conditio purificaretur, jam supra exclusum est, cum de facto illa veritas conditionata determinata sit et cognita, non suspensa ejus cognoscibilitas, et status ille de facto detur, licet res conditionate.

INCONVENIENTIA SCIENTIÆ MEDIÆ.

XI. Plurima adduci solent, eaque non parvi momenti. Nos graviora colligimus. Sit primum inconveniens, per scientiam mediam sterni viam ad illa duo quæ Semipelagiani ponebant circa initium et finem, seu perseverantiam justificationis, enervarique omnia argumenta Augustini et catholicorum contra ipsos in hac parte, admissa scientia media. Duo enim erant præcipua asserta Massiliensium, alterum circa initium justificationis, alterum circa finem perseverantiæ. Circa initium dicebant præsupponi a Deo in nobis aliquod initium saltem boni desiderii et credulitatis, quo tamquam merito moveretur Deus ad dandam suam gratiam pro bonis operibus. Hanc vero fidem quando dicebant esse a nobis, non intelligebant esse a nobis taliter quod nullo modo descenderet a Deo ille actus, nec esset ab illo, etiam quoad concursum generalem, et in genere entis, hoc enim esset dicere, quod ille actus non erat creatus, si quidem non dependeret a Deo, nullus autem redarguit hos hæreticos de hoc quod ponerent aliquem actum creatum independentem a Deo, et sine ejus concursu factum, id enim stolidissime diceretur. Hoc enim vix Pelagius in ipso suæ hæresis initio dixit, ut alibi explicamus. Sed dicebant fidem esse a nobis, id est, ex viribus naturalibus, ex quibus dicebant nos posse orare et quærere remedium a Deo, quod nullus quærit nisi ubi credit invenire. Et hoc quod est habere talem fidem, et tale desiderium dicebant esse sufficiens motivum seu meritum aut occasionem, ut Deus ratione seu intuitu illius conferret gratiam. Circa finem vero seu perseve-

rantiam in justificatione et gratia, dicebant ipsi nullum esse donum Dei quod infallibiliter perseverantes redderet, sed quodcumque donum a Deo daretur posse voluntate propria, aut retineri aut amitti. Constat hoc ex epistola Hilarii ad Augustinum et ex epistola S. Prosperi sæpius repetitis.

XII. Cum autem ipsi dicerent ex nobis dari illa initia justificationis, ita quod gratia daretur ex meritis, non sumebant ly merita in rigoroso sensu pro eo, quod est ex condignitate, sed lata significatione pro eo etiam quod se habet ut occasio, aut quocumque modo ut motivum dandi gratiam. Constat hoc ex ipso Cassiano, qui Semipelagianus fuit, contra quem agit S. Prosper in libro contra Collatorem, nam in collatione tertia decima refugit concedere gratiam propter merita dari, licet detur propter quædam initia ex parte nostræ voluntatis, ut propter desideria bona, credulitatem, etc. hæc enim refugiebat ipse dicere esse merita, ut patet in cap. XIII et XVI, vocat tamen occasiones quasdam, ratione quarum Deus dat gratiam ut patet in capite XIV: « Præsto, inquit, est Deus occasione tantummodo nostræ voluntatis oblata ad hæc omnia conferenda. » At vero S. Prosper per consequentiam infert contra ipsum hæc etiam initia seu occasiones aliquale meritum esse: « Nec enim, inquit libro contra Collatorem, cap. VIII, nullius meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia. » Si autem expresse Cassianus poneret merita ante gratiam, non opus esset per illationes id S. Prosperum indagare.

XIII. Ad hæc autem inconvenientia asserenda et defendenda, etiam sterni viam per scientiam mediam, enervarique per illam, quidquid contra ista initia justificationis ex

nobis Augustinus et patres arguebant, sic ostenditur. Scientia media ponitur a suis defensoribus, ut Deus ante omne decretum præveniens nostras voluntates ad habendum consensum, cognoscat an ipsa consensura, vel dissensura sit pro sua libertate, posita tamen in tali occasione, cum tali vocatione, cum tali auxilio de se indifferenti, quod tamen per ipsum consensum est reddendum efficax si de facto operetur, vel inefficax per dissensum, si nolit operari. Hoc est quod prævidet scientia media. Atque ita supposito auxilio Dei de se indifferenti, prævidet quod nascitur determinatus consensus ex libertate, et quod habet hunc effectum, scilicet reddere auxilium efficax, vel effectum cassare. Hoc autem præviso per scientiam mediam, Deus decreto suo determinat quod absolute fiat, vel non fiat, non quidem decreto determinante et prædefiniente de facto ipsum consensum, quem jam prævidet determinatum, sed determinante quod ponatur in executione illa gratia, et auxilium, et illæ occasiones, et non desit voluntati concursus generalis quo de facto operetur. In hac præscientia offertur divino conspectui aliquid quod de se habet sufficientem bonitatem, quæ possit eum movere ad dandam gratiam et prædestinationem aliquibus præ aliis, ita quod in distribuenda gratia, et danda vocatione cum effectu non sit acceptio personarum apud Deum. Similiter nullum Dei donum quatenus a solo Deo descendit, tale est quod non possit voluntate humana, aut amitti aut retineri, ergo per scientiam mediam via sternitur ad asserendum et confirmandum utrumque illud inconveniens.

XIV. Minor illa habet duas partes. Prima est, quod offertur per scientiam mediam aliquid divino conspectui, quod sufficientem bonita-

tem habet ut movere eum possit ad dandam gratiam. Probatur ergo illa pars, et non dico quod de facto Deus utitur tali motivo ut ratione, vel conditione, aut congruentia movendi, sed quod habet sufficientem bonitatem in illo objecto præviso, ut inde moveatur. Ex hoc quippe inferetur postea non haberi fundamentum ad negandum quod Deus tali motivo non sit usus, si de se motivum sufficiens erat. Et quidem Molina 1 part. quæst. xxiii, art. iv et v, disp. 1, memb. xi, §. Illud addendum, in initio satis videtur in hoc inclinare, ut in providendo et optulando alicui adulto, decens fuerit Deum attendere ad usum liberi arbitrii, quamvis membro sequenti se explicet quod nolit causam prædestinationis assignare, de quo postea. Probatur ergo illa pars, quia assensus ille ut ortus a libertate nostra, et efficacem reddens ipsam gratiam est bonus usus liberi arbitrii, et nihil habet mali, vel peccati, et est totum quod homo potest facere circa gratiam, ergo habet bonitatem Deo placentem non minus quam illa desideria et orationes, vel credulitas, quas ponebant Semipelagiani tamquam initia justificationis: ergo non minus potest præbere Deo motivum et rationem dandi gratiam, et determinandi ut de facto et absolute ponatur a Deo id quod conditionate prævidebatur, quam illa desideria, et initia justificationis, quæ ponebantur a Semipelagianis. Nec obstat quod iste consensus prævidetur ut futurus sub conditione, illa vero initia justificationis ponebantur a Semipelagianis, ut de facto præcedentia ipsam gratiam, et ille consensus prævidetur supposita gratia, illa vero initia ut existentia ante gratiam. Nam contra est, quia Semipelagiani æque indifferenter utebantur meritis conditionate prævisis, atque simpliciter præcedenti-

bus, nec minus in uno damnantur, quam in alio, cum enim urgentur a catholicis exemplo parvulorum, qui nihil boni, aut mali agendo, unus justificatur et salvatur, alter damnatur, dicebant ex operibus seu meritis prævisis sub conditione si viverent, illum assumi, alium relinqui, quod tamquam absurdissimum abhorruit et expugnavit Augustinus multis in locis, ergo si semel ea quæ conditionate prævidentur futura possunt habere vim meriti et motivi, ut Deus largiatur dona sua, parum interest ad sententiam Semipelagianorum, quod id quod Deus respicit ut meritum dandi gratiam sit conditionate futurum, vel sit de facto collatum. Nec solum impugnat Augustinus Pelagianos in eo quod dicebant judicari aliquos ex operibus non factis, sed quæ fecissent: sed etiam in eo quod ex futuris operibus, etiam si de facto facienda essent, dicerent Deum aliquibus largiri gratiam, ac proinde in hoc virtualiter excludit posse consensum futurum habere rationem motivi, aut occasionis ut Deus det gratiam, quod tamen haberet seu habere posset si prævideretur futurus ante omne decretum ex sola libertate prævisa. Quod autem sic impugnaverit Augustinus Pelagianos constat inter alia ex libro ii contra duas epistolas Pelagianorum, capite vii, ubi inquit: « Propter quod desipitis, qui dicente veritate, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, vos dicitis ex futuris operibus quæ Deus illum facturum præsciebat, Jacob fuisse dilectum, atque ita contradicitis Apostolo dicenti non ex operibus, quasi non posset dicere non ex præsentibus, sed futuris operibus, sed ait non ex operibus ut gratiam commendaret, si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. » Ergo sentit Augustinus non minus rejiciendum

esse quod gratia detur intuitu alicujus operis, vel desiderii, aut alterius occasionis præcedentis, quam intuitu alicujus futuri si illud futurum ex libertate nostra et nativa potestate procedit, et in se bonum est, qualis est ille assensus. Idem multis aliis locis repetit.

XV. Quod vero illa initia justificationis ponebantur a Semipelagianis ante gratiam, iste vero consensus prævidetur futurus post gratiam, et sub conditione si auxilium et gratia in tali, vel tali occasione detur, nihil omnino obstat, quia ille consensus non ponitur a scientia media, nec prævidetur ut proveniens a determinatione gratiæ infalibilibiter agentis, et inclinantis ad illum, sed ponitur ut determinans ipsam gratiam quæ de se indifferens, et per consensum a libertate ortum, non prædefinitum et prædestinatum a Deo, auxilium ipsum determinat, et sic non prævidetur consensus ut ex adjutorio Dei determinate proveniens, sed sub ipso adjutorio seu illo oblato, a libertate nascens. Hoc autem ipsum ponebant Semipelagiani, et hoc ipsum in eis Prosper notavit, et impugandum misit Augustinus ut constat ex epistola sæpissime citata circa ejus finem ubi dicit de Semipelagianis: « Par omnium invenitur, et una sententia, qua prædestinatione Dei secundum præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit et sub ipso gratiæ adjutorio in qua futurus esset voluntate et actione præscierit. » Ecce voluntatem, id est, voluntatis actum seu usum, aut consensum (idem enim sunt) prævisum non sine adjutorio Dei, sed sub ipso positum a Semipelagianis, ergo sentiebant talem consensum seu voluntatem prævisam sub auxilio Dei in tantum habere rationem me-

riti seu occasionis ut gratia daretur, quia prævidebatur ut futura sub conditione, quod tale, vel tale auxilium detur, accipitur vero a Deo ut motivum et occasio decernendi et determinandi quod de facto ita fiat sicut prævisum est, quasi Deus prius explorans quid simus volituri, conformet se cum prævisione. Hoc est quod dicebant Semipelagiani, et hoc est quod impugnat Augustinus. Ad hoc autem ducit scientia media, quia ille consensus sub adjutorio Dei prævisus, id est, sub conditione quod adjutorium detur in tali vel tali occasione, habet sufficiens motivum ut intuitu, aut occasione illius Deus de facto ponat et determinet quod sub conditione prævidebat.

XVI. Quoad secundam partem minoris probatur, quia in hac scientia media id præcipuum intenditur, ut nullum auxilium divinæ gratiæ ex sua natura, et prout præcise a Deo descendit, efficax sit, sed temperatum, ita quod a Deo indifferenter detur, voluntas autem pro sua libertate inclinatur in partem quam voluerit, et determinet illam, et consequenter reddat auxilium illud efficax, vel inefficax sumendo efficaciam ex effectu, ita quod illud denominetur efficax quod habet effectum, et efficacia sit denominatio extrinseca in entitate auxilii. Et ideo quia gratia seu auxilium ex natura sua non facit infallibiliter voluntatem inclinari infallibilitate causalitatis, oportet quod habeat infallibilitatem directionis et dispositionis ex præsupposita præscientia, quæ ante omnem auxilii efficaciam a decreto Dei descendente videat quod operatura sit voluntas, et quomodo sit inclinatura et consensura, casu quo detur tale vel tale auxilium in tali vel tali occasione. Hæc est tota ratio scientiæ mediæ, ut notissimum est legentibus auctores qui illam docent, et in quotidianis disputationibus ita passim af-

firmant. Ex hoc ergo manifeste deducitur nullum esse donum Dei seu auxilium sive ad inchoandum bonum, sive etiam ad perseverandum, quod non possit voluntate propria aut amitti, aut retineri, id est, vel cassari et frustrari effectu, vel efficax reddi habendo illum, ita quod infallibilitas effectus non sumatur ex ipso auxilio et dono Dei ut ex causa, sed ex ipso effectu seu consensu qui præsupponitur, et sic prævidetur. Hoc autem totum est id quod in Semipelagianis voluit evitare S. Augustinus. Dum enim Semipelagiani his quæ tradiderat Augustinus in libro de correptione et gratia non acquiescerent, sed maxime moverentur ex ejus verbis ponentis donum perseverantiæ esse tale quo homines non nisi perseverantes fiunt, dicebant ipsi ut refert Hilarius in epistola ad Augustinum: « Quidquid donatum sit prædestinatis, posse propria voluntate amittere, aut retinere. Quod tunc falsum esset, inquit Hilarius, si verum putarent eam quosdam perseverantiam percepisse, ut nisi perseverantes esse non possint. » Sentit ergo Hilarius opponi e diametro doctrinam Augustini qua ponit aliquibus dari tale donum quo non nisi perseverantes sint, cum ea doctrina, quæ asserit donum Dei, seu auxilium quodcumque posse nostra voluntate frustrari, vel ad effectum perducere, amitti, vel retineri. Ergo etiam e diametro opponitur scientiæ mediæ, quæ ob hoc ponitur, quia gratia quæcumque data a Deo indifferens est, ut sit efficax vel inefficax, et nostra voluntas quæ prævidetur consensura vel non consensura, redditur efficax, id est, habens effectum, vel inefficax, id est, vel retinetur vel amittitur.

XVII. Secundum inconveniens est, quod per scientiam mediam sternitur via ad affirmandum quod

prædestinatio Dei fiat secundum præscientiam boni usus liberi arbitrii, et ex meritis humanæ voluntatis prævisis. Ut hoc inconveniens percipiatur, de quo latius in materia de prædestinatione, advertendum est Molinam I par. quæst. XXIII, art. IV et V, disp. I, multis in locis præsertim membro VI, et membro XI et XII et XIII, verbis negare, quod bonus usus liberi arbitrii prævisi non sit causa, ratio, aut conditio prædestinationis divinæ erga nos, sed re ipsa valde intricari, nec se expedire posse. Dicit enim quod prædestinationem dari secundum præscientiam potest in duplici sensu intelligi. Uno modo quia bonus usus liberi arbitrii prævisus sit id pro cuius qualitate, aut propter cuius qualitatem Deus distribuat dona et auxilia sua, ac prædestinet homines. Alio modo quod non sine præscientia boni usus liberi arbitrii, habitaque consideratione illius Deus prædestinet homines. Primo modo negat prædestinationem esse ex præscientia boni usus liberi arbitrii, sed mere gratis. Secundo modo docet ex præscientia illius esse, seu potius non sine illa præscientia. Specialiter vero de anima Christi Domini ejusque gloriosissimæ Matris addit membro illo XI, circa finem, §. Illud etiam, verisimile esse quod eas præviderit Deus melius quam cæteras: « Pro sua innata libertate usuras suo libero arbitrio, eaque ratione in tantam dignitatem potius, quam cæteras fuisse electas. » Item ibidem membro VI, §. Quod ad Augustinum, docet quod cum Augustinus occasione hæresis Pelagianæ re diligentius examinata merito dixerit prædestinationem non fuisse secundum præscientiam quasi Deus dona gratiæ et prædestinationis pro qualitate usus liberi arbitrii prævisa statuerit conferre: « Hæc tamen sententia, inquit, tum ob sui eo tem-

pore novitatem, tum etiam quod Augustinus non addiderit, fuisse non sine præscientia quid pro creati arbitrii libertate esset futurum ex hypothesis quod in hoc vel illo ordine rerum collocaretur, habitaque consideratione talis usus futuri, licet non ut pro qualitate illius dona gratiæ, et prædestinationis conferrentur, multum eo tempore aliquos ex fidelibus turbavit, cuiusurbationis meminere Prosper et Hilarius in epistolis ad Augustinum, et Prosper petiit ab eo edoceri quomodo diluatur id quod Semipelagiani dicebant, propositum et prædestinationem Dei secundum præscientiam dari. » Deinde vero dicit: « Quod si DD. Augustinus et Thomas consulerentur de hac re, responderent, non fuisse prædestinationem et reprobationem, sine hac scientia prævisa, habitaque consideratione usus liberi arbitrii futuri, tametsi non ut pro qualitate illius dona gratiæ et prædestinationis a Deo conferrentur. Non tamen advertisse D. Augustinum ad hanc præscientiam, et quantum conduceret ad auferendam illam duritiam, quod nullo habito respectu ad usum liberi arbitrii etiam sub conditione futuri, Deus quosdam elegerit, alias reliquerit: et interim dum sub ea quasi caligine D. Augustinus ad hoc non attendit, de solis prædestinatis intellexit illum locum Pauli: Qui vult omnes homines salvos fieri. » Et concludit §. Ex his patet, non esse tribuendam D. Augustino et Thomæ hanc de prædestinatione sententiam, quæ ita rigida videtur: Imo esto hi duo patres in eam sententiam inclinassent, salva eorum reverentia, quæ illis debetur maxima, quoad illud secundum admittenda non esset. »

XVIII. Denique, membro X conclusionem VIII, docet prædestinationem in particulari sumptam ut distinguitur a providentia communi,